

SIC LÆTA QUIESCO

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA
SIGNA LAPIDES NVMISMATA GEMMAS
E T
MONVMENTA MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN QVINCTVM

In quo, inter alia, inſignis ex aere
Tabula Placentina



FLORENTIAE. CIↃ. IↃ. CC. XLVIIII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO
PRAESIDVM PERMISSV.

PRAESVLI REVERENDISSIMO
DOMNO IOSEPHO ALEXANDRO
CHIAPPINIO
PATRICIO PLACENTINO
INCLVTAE CONGREGATIONIS
CANONICORVM LATERANENSIVM
ABBATI GENERALI

MODERATORI VIGILANTISSIMO
QVI MAIORVM SVORVM PRAECLARA DECORA
VIRTVTES GLORIAM EXIMIA IN PATRIAM MERITA
IVSTITIA PRVDENTIA FIDE INTEGRITATE
NON SOLVM AEQVAVIT SED ET LONGE SVPERAVIT
CELEBRITATE NOMINIS SVI DOCTRINAE
AC MVLTIPLICIS ERVDITIONIS SPLENDORE AVXIT
QVOD SINGVLARI IN OMNES HVMANITATE
COMITATE INCORRVPTO MORVM CANDORE
PRINCIPIBVS AC DOCTIS VIRIS CARVS ACCEPTVSQ.
IN EXPEDIENDIS GRAVISSIMARVM RERVM
NEGOTIIS CAVTISSIMVS
IN PROMOVENDA DISCIPINARVM

GLORIA SEMPER ADSIDVVS
PIETATE RELIGIONE ZELO NVLLI SECVNDVS
PERPETVO LABORE PER COMPLVRES ANNOS
PERLVSTRATIS
SVIS OMNIBVS ITALIAE MONASTERIIS
MAXIMAM AMPLISSIMI MVNERIS DIGNITATEM
INGENTI TOTIVS ORDINIS PLAVSV
FESTIVA AMICORVM GRATVLATIONE
AD SVMMVM DECVS EVEXERIT
QVOD ETIAM PLACENTINAM BIBLIOTHECAM
ET MVSEVM SVVM IN MONAST. S. AVGVST.
CVI ITERATO REGIMINE LAVDABILITER
PRAEFVIT RARIORVM LIBRORVM SVPELLECTILE
SELECTIORIBVS NATVRAE ET ARTIS OPERIBVS
VETERVMQ. OMNIS GENERIS MONVMENTORVM
COPIA INSTRVXERIT ATQVE AD STVDIA
AMPLIFICANDA INGENS PROMTVARIVM
CONSTITVERIT . ET OMNI CVLTV EXORNARIT
MAGNORVM INGENIORVM AC LITERATORVM
AESTIMATOR EXIMIVS AC LIBERALIS
ET HOC AMPLIVS QVOD COMPLVRES
ITALIAE ACADEMIAS

PRAESERTIM VERO AB IPSA ORIGINE
SOCIETATEM COLVMBARIAM FLOR.
IN QVAM CVM PRIMIS
OB EGREGIA MERITA ADLECTVS EST
SEMPER DILEXERIT
PRAESENTIA SVA NON SEMEL BEARIT
FIRMAVERITQ. ET COMPLVRES DONO
DEDERIT ERVDITAE VETVSTATIS
DELICIAS QVIBVS SCRVTATOR
PERITISSIMVS MIRIFICE DELECTATVR
ROMAE VERO
IN AETERNO SAPIENTIAE DOMICILIO
LONGE LATEQVE ERVDITIONEM SVAM OSTENDAT
ANT. FRANCISCVS GORIVS
VIRO DOCTISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
PATRONO SVO OPTVMO
DE SE STVDIISQVE SVIS EGREGIE MERITO
VOLVMEN HOC
IN QVO PRAETER RELIQVA
EA QVAM IPSE PLVRIMI FACIT
PERINSIGNIS EX AERE
TRAIANA TABVLA

IN PLACENTINA DITIONE NVPER EFFOSSA
PRO ALIMENTARIIS
ANTIQVAE VELEIATIVM REIPVBLICAE
PATRIAE VRBIS SVAE
SEMPITERNVM DECVS
PRAECIPVVM HABET LOCVM
ET MVRATORIANO
IMMORTALI CALAMO
DOCTISSIMO COMMENTARIO INLVSTRATA
DILIGENTI CVRA À SE EDITA
ÈXHIBENTVR
PERENNE SVI CVLTVS
AMORIS ET VETERIS AMICITIAE
EXOPTATISSIMVM MONIMENTVM
VT TANTO PRAESVLI STVDIORVMQ. FAVTORI
VT ERAT IN VOTIS REM FACIAT
GRATISSIMAM
OFFERT DEDICAT CONSECRAT

ANT. FRANCISCVS GORIVS
DOCTO HVMANOQVE
LECTORI SVO

P*Ereximia, quae in hoc* Symbolarvm *Volumine V. in lucem proferuntur* Monvmenta, *tantae ſunt eruditionis, dignitatis ac pretii; ut eruditae Antiquitatis Cultoribus valde grata et iucunda fore non dubitem. Quid enim ad ſacram ſequioris aevi Hiſtoriam inluſtrandam praeſtantius, quid nobilius* Iudicio *ſive* Placito *Ravennate, cui merito principem in hac* Syl-

Sylloge locum dedimus? De eo, nunc primum in lucem prodeunte, haud opus eſt ut pluribus heic agam, quum in ſuis Obſervationibus eidem adectis, mihique inſcriptis, Vir immortalis, atque incomparabilis Ludovicus Antonius MVRATORIVS, *bonarum litterarum decus eximium, quae & quanta ex eo nunc innoteſcant breviter, ſed cumulate, oſtenderit: cuius egregiam in me humanitatem, ac benevolentiam, crebris officiis teſtatam, ſubſpiciam ſemper, & multis laudibus praedicabo.*

Sequuntur EPIGRAMMATA ANTIQVA *marmoreis Titulis ſepulcralibus inſcripta, quibus Romanum Muſeum Monaſterii S. Pauli, & ſuum domeſticum Ravennae exornavit Reverendiſſimus Abbas D. Petrus Paullus* GINNANIVS, *eximiae doctrinae & probitatis laude clariſſimus. Ea omnia ipſe adcurate ex archetypis exſcripſit, quae duobus exceptis, quae in adiectis Adnotationibus indicantur, in* MVRATORIANO THESAVRO *deſiderantur.*

In quarto mearum SYMBOLARVM *Volumine publica luce donare volebam* DIARIVM EPIGRAPHICVM *a Cl. D. Petro Aloyſio* Gallettio, *in hoc Florentinae Abbatiae Aſceterio*

terio Philoſophiae, & Matheſeos Profeſſore paratum; nam illud, tunc quum in manibus haberem, eo adnuente, promiſeram me quantocius editurum Capite V. Auctarii mei de Locatoribus Scenicorum *pag.* 166. *ſed, editis duobus illis Symbolarum Voluminibus, ſtatim idem Auctor a me requiſivit, ut alias Adnotationes adderet: deinde apud ſe exſtare voluit; ac tandem eiuſdem* Diarii Epigraphici *editionem in ſe recepit; quare non a me, ſed ab eo illud deinceps ſperabunt, & aliquando accipient Archaeologi harum elegantiarum cupidiſſimi.*

Locum in hoc Volumine praecipuum tenet celeberrima TRAIANA TABVLA, *quae ſola hiſce priſci aevi deliciis ingens pretium & nomen addit; praeſertim* MVRATORIANO, *brevi quidem, ſed referto omnigena eruditione, exquiſito iudicio, neceſſariiſque obſervationibus,* COMMENTARIO *inluſtrata. Pluribus benevolum Lectorem heic non moror, quum nonnulla in ſequenti Praefatione adnotarim. Doctorum hominum ingenia haec tam pretioſa Tabula excitabit, ut multa notatu digna in ea obſervent, quae etiam ad antiquos Auctores rei Agrariae, & Scriptores de limitibus agrorum inluſtrandos*

dos maxime faciunt. Valde etiam doctiſſimi Interpretes Goeſius & Rigaltius hac Tabula auſpice in Obſervationibus & Notis locupletari poſſunt. Interim, quae obſervata fuerint a Viro Celeberrimo Marchione Scipione MAFFEIO *in* Muſeo Veronenſi, *avidiſſime expectamus. Mihi quidem ſi ſaxum hoc tenuibus meis viribus volvere potero, in animo eſt, nonnullis adnotatis, adferre vetuſta litteris conſignata Monumenta, in quibus praediorum, fundorum, iugerumque fit mentio, & quaedam praeſcripta habentur, & quae ad hanc ipſam toto orbe multis cum laudibus memoratam Tabulam pro Alimentariis a* TRAIANO AVGVSTO *per Italiam inſtitutis quoquo modo elucidandam, plurimum conferunt.*

Interim ſingularem lamellam ex aere, nuper menſe Aprili huius anni Romae effoſſam, adferre lubet in fine huius Praefationis, quam baſi Statuae Flaviae Publiciae Virginis Veſtalis Maximae *adfixam fuiſſe reor, uti cum aerei eiuſdem tituli forma, tum in utraque anſula, ea quae cernuntur vacua foramina, perſpicue declarant. Quando vacare tranquilliore Muſarum otio potero, diſſeram* de Immunita-

te,

te, honoribus, & laudibus, quibus Virgines Veſtales Maximae ornatae ſunt; *rurſum adlato hoc pereximio Monumento, quod ſtatimac erutum eſt, mecum, ut frequentiſſime ſolet, communicavit Praeſtantiſſimus Praeſul Ioannes* BOTTARIVS, *Vaticanae Bibliothecae Praefectus, et ipſe ad augendam litterarum gloriam; et amicorum ſtudia natus, atque editis ingenii ſui compluribus eximiis monumentis clariſſimus. Quemadmodum in* Traiana Tabula, *heic quoque* ᴅ *numeralis nota occurrit, quae eandem Virginem Veſtalem Maximam* inmunem in iugeribus quingentis *fuiſſe teſtatur. Signum illud, quod, ut ita dicam, pineam nucem refert, ludicrae Scaltoris manui, vel ingenio, fortaſſe tribuendum eſt. Epigraphe ita ſe habet:*

F L A V I A E
P V B L I C I A E
V̄ V̄
M A X I M A E
I N M V N I S
I N I V G D


Hanc

Hanc Virginum Veſtalium Maximam Flaviam Publiciam, eam eſſe facile crediderim, cui baſes (ut arbitror) ſtatuis ornatas, Romae dedicatas fuiſſe, diſcimus ex duplici eius epigraphe adlata in Gruteriano Theſauro pag. CCCIX. num. 1. *et* 2. *de quibus alibi ſermo. Profecto ex editis antiquorum Epigrammatum Collectionibus mihi haud nota erant, quae ex hac ſingulari lamella didici, quamvis in fracto eoque unico marmoreo Titulo penes Celeb. Muratorium pag. CLXXIII.* 12. *Calpurnia Virgo Veſtalis maxima* IMMVNIS *tantum dicatur.*

His praenotatis, revertor ad inſignem TABVLAM TRAIANAM. *Ea in Agro Placentino reperta eſt, anno MDCCXLVII. ab ipſa Placentia, in finibus Aemiliae, miliario XVIII. Hoc inſigne vetuſtatis Monumentum, quovis Principum Muſeo, ut aeternitati ſacretur, digniſſimum, magnitudine ſua ac pondere* DC. *librarum, omnes ad hoc tempus exſtantes Tabulas ex aere ſuperat; nam longitudine ulnas ſex, altitudine vero ulnas tres ſuperat; videlicet, uti a Praeclariſſimo P. Domno Abbate Generali Congregationis Canonicorum Lateranenſium* CHIAPPINIO, *qui vidit, adnotatum eſt, monetque eo auctore,*

omni-

Lamella ex aere inter Cimelia Cl. Praeſulis Ioannis Bottarii Praefecti Bibliothecae Vaticanae etc.



c
c
q
q
k
n
c
p
li

T
ti
P
H
P
di
lil
T
ul
pe
D
no
vi

omnigena eruditione & perrara modeſtia Ornatiſſimus Franciſcus Eques VICTORIVS [1] *palmos Romanos architectonicos XIII. circiter protenditur in longum, & altitudinis palmos VI. cum dimidio excedit. Specimen characterum dedimus, & integras unico proſpectu priores duas lineas, quod intra auguſta paginarum ſpatia in plures lineas abrumpere abſonum eſſe duxerimus. Illud interim monemus, Florentinum Typographum, nobis ſuadentibus, exemplaria perpauca eiuſdem Tabulae ſeorſim excudiſſe, ut ſi quis velit, idem celeberrimum Monumentum, de quo* MVRATORIVS *praeclare meritus eſt, addere poſſit, uti ei videbitur, in fine primi Voluminis* THESAVRI MVRATORIANI *Inſcriptionum antiquarum, quod & ipſe feci, & alii, qui me monente id fecerunt, ubi perbelle eidem Theſauro ſociari poſſe animadvertimus, ſeorſim ſervata Muratoriana Expoſitione.*

Adieci in fronte meae Praefationis ad eandem Traianam Tabulam *rarum aureum numiſma, e Florentino Imperiali Cimeliar-*

chio

(1) In Diſſertat. Apologetica *de quibuſdam Alexandri Severi Numiſmatibus*, quae dum haec ſcribo X. Kal. Aug. hoc ipſo anno, ab eo dono accepi. Vid. pag. 43.

chio depromtum, quo declaratur TRAIANI AVGVSTI *in conſtituendis adſignandiſque per Italiam alimentis egenis Pueris ac Puellis ſnmma atque inſignis liberalitas, & tempus, nempe quinctus eius Conſulatus indicatur. Epigraphe ita ſe habet in antica parte*: IMPeratori TRAIANO AVGVSTO. GERmanico. DACico. Pontifici Maximo. TRibunicia Poteſtate = *In poſtica*; COnſuli V. Patri Patriae. Senatus Populuſque Romanus OPTIMO PRINCipi. *In exergo ſub figuris* = ALIMenta ITALiae.

IN-

INDEX SYMBOLARVM

QVAE IN PARTE PRIMA HVIVS VOLVMINIS QVINCTI CONTINENTVR.

I.

Dedicatio Operis Ampliſſimo Abbati Generali Congregationis Canonicorum Lateranenſium Domno Ioſepho Alexandro CHIAPPINIO, *Patricio Placentino &c. pag.* III.

II.

Praefatio ad Benevolum Lectorem. pag. VII.

III.

Vetuſta adfertur in fine Praefationis lamella aerea in honorem FLAVIAE PVBLICIAE Virginis Veſtalis Maximae &c. *pag.* XV.

IV.

IVDICIVM, ſive PLACITVM *Revennae* in Monaſterio Claſſenſi *habitum a Silveſtro II. Pont. Max. & Ottone III. Aug.* pag I.

V.

In idem IVDICIVM, *ſive* PLACITVM Adnotationes V. C. *Ludovici Antonii* MVRATORII, Sereniſſimi Ducis Mutinae Bibliothecarii. *pag.* 7.

VI.

VI.

Forma antiqua ſacramenti Ghibellinorum Florentinorum, cum aliquot Notis. *pag.* 12.

VII.

In EPIGRAMMATA ANTIQVA, quae ſequuntur, Praefatio. *pag.* 19.

VIII.

EPIGRAMMATA ANTIQVA nunc primum edita, quibus Romanum Muſeum Monaſterii S. Paulli, & domeſticum GINANNIANVM Ravennae ornatur. *pag.* 21.

IX.

In eadem EPIGRAMMATA ANTIQVA perbreves Notae, quibus adcedunt EPIGRAMMATA ANTIQVA apud Baias reperta anno MDCCIL. cum Adnotationibus. *pag.* 28.

X.

PRAEFATIO in TRAIANAM TABVLAM; hanc ſequitur Specimen characterum eiuſdem Tabulae cum maiorum, tum minorum. Praefatio praemititur poſt *pag.* 34.

XI.

TABVLAE TRAIANAE Placentinae Exemplar *ad archetypi fidem diligenter exſcriptum poſt* pag. 40.

PARS SECVNDA

MVRATORIANA *eiuſdem Tabulae Placentinae* Expoſitio ad Inclutos Societatis Columbariae Florentinae Socios, *Italico ſermone exarata, a pag.* 1. *ad pag.* 56.

IVDI-

IVDICIVM SIVE PLACITVM
HABITVM RAVENNAE
IN MONASTERIO CLASSENSI
A SILVESTRO II. P. O. M.
ET OTTONE III. AVG. IMP.

Nunc primum in lucem editum .

IN Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti . Anno Deo propitio Pontificatus Domini noſtri Silveſtri Summi Pontificis & univerſalis Pape in Apoſtolica Sacratiſſima Beati Petri Apoſtoli Domini Sede ſecundo. Sicque imperante Domno noſtro Piiſſimo Perpetuo Auguſto Ottone , a Deo coronato , Pacifico , Magno Imperatore in Italia vero Anno v. die quarto menſis Aprilis , Indictione quartadecima , infra Clauſtra Monaſterii Sancti Apollinaris, qui vocatur in Claſſe . Ea enim , que geſta eſſe videntur , prolixis temporibus memoriter retineri non poſſunt : ideo ſcripture vinculi anotari equum eſt . Igitur cum Chriſti auxilio dum reſiderent predicti Domni Silveſtri Summi Pontifici & univerſali Pape una cum eo Domno Ottone Sereniſſimus Romanorum Imperator Auguſtus in predicta Clauſtra Monaſterii Sancti Apollinaris , qui vocatur in Claſſe, iuſtitiam faciendam, & altercationes deliberandas, reſidentibus, & aſtantibus cum eis Epiſcopis, Abbatibus, Diaconibus, Monachis , & Eremitis, Clericis , Comitibus, Iudicibus , atque Conſuli-

ſulibus, & aliorum Sublimium, quorum nomina haec ſunt. Ideſt in primis Domnus Petrus gratia Dei Epiſcopus Sanctae Cumenſis Eccleſie, Otbertus Epiſcopus Sancte Veronenſis Eccleſie, Leo prudentiſſimus Epiſcopus Sancte Vercellenſis Eccleſie, & Logotheta Sacri Palatii, Dominicus Epiſcopus Sutrienſis Eccleſie, Sergius Epiſcopus Sancte Ceſinenſis Eccleſie, Odilo Abbas Monaſterii Sancti Petri Cluniacenſis, Andreas Abbas Monaſterii Sancti Salvatoris Ticinenſis, Robertus Oblacionarius Sancte Summe Sedis Apoſtolice Romane Eccleſie, Fredericus Presbiter Sancte Romane Eccleſie Cardinale, Giſilbertus, qui vocatur Bonizo, Presbiter & Monachus Sancti Salvatoris Ticinenſis, Anaſtaſius Abbas Monaſterii Sancte Marie Selavanenſis Provincie, Giribaldus Abbas Monaſterii Sancte Criſtine Ticinenſis, Arderadus Abbas Monaſterii Sancti Apollinaris in Claſſe, Bonizo Abbas Monaſterii Sancti Severi, Romualdus Abbas & Eremita, Guillielmus Presbiter & Eremita, Iohannes Presbiter & Eremita, & alius Iohannes Monachus ſimiliter & Eremita, Bonifacio Eremita, Baldericus Clericus & Capellanus Imperatoris, Guazo Diaconus ſimiliter Capellanus Domni Imperatoris Ottoni; Poppo item Capellanus; Conſtantinus Archidiaconus Sancte Ravennatis Eccleſie, Guarinus Presbiter eiuſdem Sancte Ravennatis, Morenatius Subdiaconus eiuſdem; Petrus Clericus & Notarius Sancte Ravennatis Eccleſie; Petrus Sacroſancti Palatii Lateranenſis Comes; Arardus Comes, Tarualdus, qui vocatur Paulus. Iudex & ex genere Ducum; Petrus Iudex Sacroſancti Palatii, Iudex & Advocator Sancte Ravennatis Eccleſie; & alius Petrus Iudex filius quondam Pauli ex genere Ducum, qui vocatur

catur de Traverſaria; Andreas Iudex, qui vocatur Vtile; & alio Andrea Dativo, qui vocatur de Severo; Iohannes Dativus Calciapelle; Almericus filius quondam Iohannis Ducis; Paulus filius quondam Petri de Traverſaria; & alius Paulus filius Petri de Traverſaria; Petrus filius Iohannis Ducis; Petrus de Adelberto; Iohannes Conſul; qui vocatur de Guanchilo; Gofredus de Bagno; Tetbertus de Atiliano; Apollinaris, qui vecatur Habertus, filius quondam Deuſdedit, Conſulis de Ponte Auguſti; Mauritius negotiator, filius quondam Iohannes de Teuda; Bonizo de Leucio; Luzo negotiator, filius quondam Vitalis negotiatoris, qui vocabatur de Marino; Rainardus Ticinenſis & Advocator ſupradicti Abbatis Sancti Salvatoris; Iohannes filius quondam Iohannis de Andrea de Amabili; Andreas Tabellio ex genere Conſulum; Lazarius Tabellio; Iohannes, qui vocatur de Vera, & Vicedomini Sancte Ravennatis Eccleſie; Adalbertus de Vſicia, & me praeſentem Conſtantinus in Dei nomine Tabellio huius Civitatis Ravenne, & alii plures, quos longum eſt ad ſcribendum.

In iſtorum omnium ſupraſcriptorum preſentia relecta eſt Cartula petitionis, quas petivit quondam Conſtantinus Presbiter & Abbas Monaſterii Sancte Marie, qui vocatur in Pomposia ad quondam Domnus Iohannes Sanctiſſimo Archiepiſcopo Sancte Ravennatis Eccleſie de ſupradicto Monaſterio Sancte Marie, & de Monaſterio Sancti Vitalis Martiris in ipſius Inſula poſito cum omnibus ad ipſi Monaſterii pertinentibus, ſitas in territorio Comiaclenſis, a ſummo uſque ad expletam roborationem teſtium. Et cum relecta eius

ter interrogavit ſupradictus Petrus Sacroſancti Palatii Iudex, & Advocatus Sancte Ravennatis Ecclesie predicte Andreas Abbati Monaſterii Sancti Salvatoris Ticienſis una cum ſupradicto Advocatore ſuo nomine Rainaldus ex genere Longobaodorum, ſi aliquid diceret, ipſam Cartulam petitionis an non. Et ipſe Abbas pariter cum ſupradicto Advocatore ſuo dixerunt: Laudamus eam, quia bona eſt, & volumus, ut ſit firmam & ſtabilem in perpetuum, ſtatimque adprehendiderunt in manibus ſuis virgam, & miſerunt in manu ſupradicto Petro Iudex Sacroſancti Palatii, & Advocatus Sancte Ravennatis Ecclesie & dixerunt: Ecce refutamus tibi invice Sancte Ravennatis Eccleſie ipſum Monaſterium Sancte Marie, qui vocatur in Pompoſia, & Monaſterium Sancti Vitalis Martiris in ipſa Inſula poſito, & omnibus rebus, quae in ipſa Carta petitionis relegitur, ut habeant Sancta Ravennas Eccleſia, ipſum Monaſterium Sancte Marie, qui vocatur in Pompoſia, & Sancti Vitalis Martiris in perpetuum. Et ſpopondit ſe ipſe ſupradictus Andreas Abbas ſupradicti Monaſterii Sancti Salvatoris una cum Advocatore ſuo nomine Rainardus ex genere Longobardorum: Si umquam in tempore ille aut ſui ſucceſſoribus, aut ſua ſummiſſa perſona, de ipſo Monaſterio Sancte Marie, quo vocatur in Pompoſia; & Sancti Vitalis Martiris, ſecundum quod relegitur in ipſa Cartula petitionis, ſe intromiſerit, aut agere vel contendere preſumpſerit: Sciat ſe compoſiturus auri optimi libras decem ad Sanctam Ravennatem Eccleſiam, ſuiſque Archiepiſcopis; & hanc refutationem & ſponſionem in ſua firmitate permaneat. Et ſimiliter interrogatus eſt Georgius Epiſcopus Sancte Comiaclenſis Eccleſie

cum

cum Advocatore ſuo nomine ſupradicto Andreas ex genere Conſulis & Tabellio; & Albericus Epiſcopus Sancte Adrianenſis Eccleſie cum Advocatore ſuo nomine Apollinaris, qui vocatur Vbertus de Ponte Auguſti; à prefato Petro Iudex Sacroſancti Palatii, & Advocatus Sancte Ravennatis Eccleſie, ſi aliquid vellent dicere de ipſa Carta petitionis de ſupradictis Monaſteriis Sancte Marie, & Sancti Vitalis, quae in eorum preſentia relecta eſt. Et ipſi Epiſcopi pariter cum Advocatoribus ſuis dixerunt: Laudamus eam, quia bona eſt; & volumus ut ſit firmam & ſtabilem in perpetuum. Et ſpoponderunt ſe predicti Epiſcopi cum ſupradictis Advocatoribus ſuis, ut ſi umquam in tempore illi, aut illorum ſucceſſorum, vel illorum ſummiſſa perſona de prefatis Monaſteriis cum omnibus ſibi pertinentibus contra voluntatem Archiepiſcopi Sancte Ravennatis Eccleſie ſe intromiſerit, aut agere vel contendere preſumpſerit, ſciat ſe compoſituri cum ſuis ſucceſſoribus ad Archiepiſcopi prefate Sancte Ravennatis Eccleſie auri optimi pro unuſquiſque libras decem; & hanc ſponſionem & laudationem in ſuam firmitatem permaneat. Haec audiente prenominato Domnus Petrus Sacroſancti Palatii Iudex, & Sancte Ravennatis Eccleſie Advocatus dixit: Deprecor vos omnes, qui hoc auditis & videtis, pro futuro teſtimonio. Hoc factum eſt ſub die, menſe, & Indictione ſupradicta quartadecima in iſta Clauſtra Monaſterii Sancti Apollinaris, qui vocatur in Claſſe.

☧ Ego Silveſter Sancte Catholice & Apoſtolice Eccleſie Romane Preſul huic refutacioni & ſponſioni, ut ſupra legitur prefui & ſubſcripſi.

✠ Octo Servus Apoſtolorum ſubſcripſi.

✠ Ego Rodbertus Sancte Catholice & Apoſtolicé Eccleſie Romane Diaconus & Oblacionarius interfui.

✠ Ego Dominicus gratia Dei Sancte Sutrine Eccleſie Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.

✠ Petrus Cumanus Epiſcopus ſubſcripſi.

✠ Otbertus Veronenſis Epiſcopus interſuit.

✠ Georgius Epiſcopus Sancte Comachenſis Eccleſie interfuit.

✠ Ego Andreas Abbas Monaſterii Sancti Salvatoris interfui.

✠ Arderatus Presbiter & Monachus & Abbas Sancti Apollinaris interfuit.

✠ Vrſus Presbiter & Monachus & Abbas Monaſterii Sancti Andree Apoſtoli, qui vocatur Maioris, interfuit.

✠ Romualdus Monachus interfuit.

✠ Conſtantinus in Dei nomine Tabellio Civitatis Ravenne, & Dei gratia Sacri Palatii Iudex huic refutationi & ſponſioni interfui & ſubſcripſi.

✠ Ego Petrus Deo annuente Dativus huic refutationi & ſponſioni interfui & ſubſcripſi.

. . . . & Logotheta Palacii affuit, voluit, laudavit, decrevit, & in eternum valere precepit.

Andreas Chriſti miſericordia Tabellio iterfuit & ſubſcripſit.

. . . . in Dei nomine Tabellio Civitatis Ravenne ſcriptor. huius refutationis & ſponſionis, de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roborationem Iudicum & teſtium . . . . abſolvi.

CLA-

CLARISSIMO ET AMANTISSINO VIRO

ANTONIO FRANC. GORIO

LVDOVICVS ANT. MVRATORIVS

INdignum fortaſſe non erit erudita tuarum Symbolarvm Collectione nobile Placitum, quod ad te mittendum ſtatui, veluti monumentum, unde non unum lumen Hiſtoriae veteri affulgere queat. Favente fortunâ pergamenam authenticam, ſive autographum Notarii, qui illud literis conſignavit; offendi apud Bonifacium Rangonium Marchionem, non minus ex antiqua & clariſſima Nobilitate, quam ex Eruditione, inter Cives noſtros praeſtantem. Quo tempore ego colligendis Antiquitatibus Italicis medii aevi operam dabam, ſi Placitum hoc mihi occurriſſet, in illud Opus perquam lubenter intuliſſem. Habitum nempe fuit Iudicium hoc, ſive Placitum, in inſigni Monaſterio Claſſenſi, paucis paſſuum millibus a Ravenna, atque olim ad mare ſito. Quanti autem faciendum ſit, facile quiſque perſpiciet: illud quippe celebrarunt ſuprema duo Chriſtiani Orbis luminaria, eique interfuere tot illuſtria tam Eccleſiaſtici, quam Saecularis Ordinis capita. Scilicet acta fuit Cauſſa coram Romano Pontifice *Silveſtro II.* qui antea *Gerbertus*, ex raro ſcientiarum cultu ſibi grande nomen quaeſierat; ſed apud ignarum vulgus ob eadem ſtudia in ſiniſtram famam incurrerat; uti & coram Romanorum Imperatore *Ottone III. Auguſto*. Ignotum fuit immortali Eccleſiaſticorum Annalium parenti Baro-

A 4 nio,

nio, hoc anno Pontificem Silveſtrum Ravennae fuiſſe verſatum. Inter Epiſcopos Placito adſidentes duo ſe nobis offerunt, quos minime in Italia ſacra Vghellius novit, videlicet *Dominicus Epiſcopus Sutrienſis*, *&* *Albericus Epiſcopus Sanctae Adrianenſis Eccleſiae*, ideſt Adriae in Venetorum ditione. Inter Abbates, celeberrimi duo heic ſeſe ſpectandos praebent, ſcilicet *Ocbile Abbas Monaſterii Sancti Petri Cluniacenſis*, ex ampliſſima Dignitate; ſed potiſſimum ex Sanctitate vitae vir eximius, & *Romualdus Abbas & Eremita*. Habes heic Sanctum ROMVALDVM, clariſſimum Inſtitutorem Monachorum & Eremitarum Camaldulenſium, Ottoni III. Imperatori inter paucos carum, cuius vitam accurate digeſtam nuper publici iuris fecit P. D. Bonifacius Collina, eiuſdem religioſi Ordinis alumnus, & publicus in Bononienſi Gymnaſio Lector. Si ei perſpecta fuiſſet Charta haec, eius mentionem, ut puto, non omiſiſſet.

Praeterea inter illuſtres Viros, qui Placito adſtitere dimittendus non eſt *Petrus Iudex*, *filius quondam Pauli ex genere Ducum*, *qui vocatur de Traverſaria*. Si qua ſupereſſet dubitatio, an celebris Traverſariorum Ravennatum Familia, quae poſtea ipſi Civitati dominata fuit, ex *Ducibus* deſcenderet, en luculentum teſtem, qui rem certam ſtatuit. Sed quinam fuere Duces iſti, in Hiſtoria Ravennate tam ſaepe memorati? Plauſu excipienda mihi viſa eſt praelaudati P. Collinae coniectura, ſcilicet Liutprandum Beneventi Ducem, a Deſiderio Longobardorum Rege deiectum, Ravennam ſe recepiſſe, ſervatumque *Ducis* titulum ad filios nepoteſque ſuos tranſmiſiſſe. Certis documentis ego uſus reduxeram in Tomo I. Antiqui-

tiquitatum Eſtenſium nobiliſſimam Principum Eſtenſium progeniem ad medium uſque Aerae Chriſtianae Saeculum decimum: quo tempore florebat ſummo decore & potentia *Otbertus Marchio & Sacri Palatii Comes*, cuius poſteri Saeculo XII. *Marchiones Ateſtini* appellari coepti ſunt. Verum tam ipſe Otbertus, quam eius deſcendentes, *Marchionis* titulo ſemper exornati viſuntur; quamquam ignotum ſit; cui Marchiae tunc illi praeeſſent. Cur ergo adeo ſtabilis in eorum Gente titulus iſte deprehenditur, quamquam poſſeſſione Marchiae fortaſſe carerent? in eam proinde coniecturam inclinavi, Marchiones huiuſmodi ex *Adalbertis* celebratiſſimis Etruriae Marchionibus fuiſſe propagatos, quorum ſoboles ab Hugone Rege Italiae deiecta, & Principatu illo ſpoliata, avitae tamen ditionis titulum retinuiſſe videtur; ipſoque Rege tandem ex Italia pulſo, in Otberto illo Marchione, non quidem Marchiam, ſed veteris magnificentiae ſpendorem recepit. Ad coniecturam hanc fulciendam acceſſit ingens bonorum vis, quam Otbertus in Etruria poſſidebat, & renovatum in eius Familia Adalbertorum nomen, ut alia praeteream. Hactenus tamen nullam mihi datum eſt reperire Chartam, cuius ope Marchionum Ateſtinorum propagatio ex Adalbertis Etruſcis ſolide confirmari poſſit.

Aliquis autem in hoc Placito miretur Ottonem III. Auguſtum ſeſe inſcribentem, non Romanorum Imperatorem, ſed *Servum Apoſtolorum*. Imo multos ante annos Criticus quidam eiuſmodi titulum imperterrite negavit, uti a veri ſimilitudine abhorrentem; quum nullus Auguſtorum antea, aut poſtea eodem fuerit uſus. Et profecto ſin-

ſingulare hoc fuit in Ottone III. ſed ſimul veriſſimum ac certum eſt: Alia ego iam protuli authentica, & minime dubia anni illius Diplomata, in queis diſſertiſſime idem Imperator ſcribitur *Servus Apoſtolorum*: Adde nunc nobile hoc Placitum authenticum, cuius ope dubitationem omnem ſublatam nemo non agnoſcat. Neque ſilebo, eiuſdem quoque vetuſtum exemplum in pergamena adſervari a ſupra laudato Marchione Rangonio, in cuius calce haec leguntur: *Et ego Bonus Dei nutu Tabellio de Villa Baurie, & Notarius Sancte Pompoſiane Eccleſie, ita ut vidi in autentico Inſtrumento quod legere potui ſcripſi in Milleſimo CLVIII. tempore Adriani Pape, & Frederici Imperatoris in menſe Aprilis, Indictione VI. Rome in domo Petri Rici Oſtiarii Domini Pape.* Ceterum ad rem quod attinet, quae huic Placito cauſſam dedit, animadvertendum eſt; a Sancta Imperatrice Adelaide, Ottonis I. Auguſti coniuge, fundatum fuiſſe extra Ticinenſem urbem inſigne Monaſterium Benedictinorum *Sancti Salvatoris*, atque ab ea ſpendide dotatum. Rexit illa diuturno tempore, vice Imperatoris mariti, & Ottonis II. Filii, atque Ottonis III. Nepotis, Regnum Italicum, tunc temporis Ravennam cum Exarchatu & Comaclum complectens. Quum vero pia Imperatrix in animum induxiſſet, quibus poſſet modis novum ſuum Monaſterium exaltare, Caeſarea auctoritate vetera duo alia eidem ſubiecit, ſcilicet *Pompoſianum*, & *Sancti Vitalis* in Comacenſi Inſula ſive Agro ſita. In Bullario Caſinenſi, atque in variis Diplomatis, quae in Coenobio Sancti Salvatoris adſervata vidi, unumque etiam ex iis edidi in Antiquitatibus Italicis, haec eadem donatio, ſive adgregatio & ſubiectio legitur, quam novis Diploma-

matis ſubinde confirmarunt, ipsâ Auguſtâ vivente, Otto II. atque ipſe Otto III. Auguſti. Nemo tunc hiſcere eſt auſus: Verum ex quo piiſſima Auguſta ad ſuperos evocata eſt anno Chriſti MXCVIII. atque attenuata veneratio; quam antea illius voluntati & decretis unuſquiſque exhibuerat, continuo reclamare coeperunt cum Archiepiſcopus Ravennas, ius ſuum in ambo illa Monaſteria laeſum contendens, tum eorumdem Abbates, quibus grave nimis videbatur Ticicenſi Coenobio ſubeſſe atque parere. Interceſſere, ut arbitror, officia ſummi Pontificis Silveſtri, atque Ottonis Auguſti, ut *Andreas Abbas Monaſterii Sancti Salvatoris* ſuis renuntiaret iuribus, idemque praeſtarent Epiſcopi Comaclenſis & Adrienſis, ſi quid iuris ſibi tribuerent in eadem Monaſteria. Eiuſmodi renuntiatio ſive abdicatio, ſecundum ritus eorum temporum, in ſolemni Placito peracta fuit. Poſt paucos vero menſes Otto Imperator utile dominium Ravennae ac Romandiolae Archiepiſcopo Ravennati largitus eſt, recepto ab eo permutationis gratia Pompoſiano Coenobio: Factum propterea eſt, ut Pompoſia Regium deinde Monaſterium evaſerit, Archiepiſcopi vero Ravennates temporalem quoque dominationem exinde in eam Provinciam exercere coeperint, quam diu etiam pacifice retinuerunt. Hoc ergo Placitum, mi Gori, accipe veluti mei erga te numquam delendi amoris pignus. Vale. Dabam Mutinae XII. Kal. Iulias MDCCXLIX.

GHI-

GHIBELLINORVM FLORENTINORVM

FORMA SACRAMENTI

Ex pervetuſta Charta nunc primum prolata.

In Dei Nomine Amen. Hec eſt forma Sacramenti, quod facient Ghibellini.

„ EGO iuro ſuper Sancta Dei Evangelia ma-
„ nu tacta eſſe fidelis & obediens Summo
„ Pontifici & Sancte Romane Eccleſie, & eius
„ Succeſſoribus, & eorum ſervabo mandata, que
„ per ſe vel nuntios ſuos aut litteras duxerint
„ facienda, vel que fuerunt, ſed nondum fini-
„ ta. Et excellentiſſimo Domino Carolo Dei gra-
„ tia Regi Sicilie, & eius Vicariis, & Commu-
„ ni Florentie, & obedire & ſtare mandatis eo-
„ rum, & quod tenebo ipſum Dominum Regem,
„ & eius Vicarios & Officiales pro Dominis &
„ Rettoribus uſque ad Kalendas Ianuarias, & ab
„ ipſis Kalendis Ianuariis uſque ad ſex annos, &
„ quod dabo eis conſilium & auxilium toto meo
„ poſſe ad dictum regimen faciendum, & con-
„ ſervandum honorem eorum, & dapnum eorum
„ evitabo, & ſi non potero evitare, eis quam-
„ citius potero nuntiabo. Et omnibus inimicis
„ dicti Regis vel Communis Florentie faciam ad
„ mandatum Regis vel Vicarii eius vel ſuorum
„ Officialium vivam guerram, & ſpecialiter con-
„ tra illos, qui tenent poſſeſſiones vel terram
„ Civitatis Florentie vel fidelium Eccleſie. Iuro
„ etiam quod non aiuvabo Curradum nepotem Do-
„ mini Imperatoris Frederigi Regem Sicilie, nec
„ eius nuntios vel litteras recipiam. Et ſi ad me
„ de-

„ devenerint, vel ad alium me preſente, ipſos „ capiam meo poſſe, & ipſos ducam antequam „ litteram aperiam, ad Vicarium dicti Regis. Ghi- „ bellinos omnes, qui erunt inobedientes Domi- „ no Pape vel Domino Regi vel Communi Flo- „ rentie, pro inimicis habebo, & eis non mittam „ litteras vel nuntios nec ab ipſis recipiam, & ſi „ venerint, capiam ſicut dictum eſt, nullum au- „ xilium vel conſilium eis dabo ſine conſenſu Vi- „ carii, vel non recipiam aliquem in Regem Ala- „ mannie, vel Imperatorem Romanorum, qui ſit „ electus in diſcordiam, donec per Romanam Ec- „ cleſiam fuerit approbatus. Inimicoſque Romane „ Eccleſie, & dicti Domini Regis habebo pro „ inimicis & non pro amicis. Et de predictis omni- „ bus dabo fideiuſſores iſdoneos ad mandatum di- „ cti Domini Vicarii vel ſuorum Officialium. Nec „ faciam aliquam coniurationem vel conventionem „ ſeu conſilium vel parlamentum vel ſocietatem „ cum aliqua perſona vel Vniverſitate Civitate vel „ Caſtro.

„ In Dei nomine Amen. Tempore Dominatus „ Excellentiſſimi Domini Regis Caroli Poteſtatis „ Florentie, & Domini Giordani de Inſola, Dei „ gratia Vicarii eius de anno milleſimo ducente- „ ſimo ſexageſimo ſeptimo Indictione decima.

Infraſcripti ſunt Ghibellini de Sextu Porte Domus, qui iuraverunt & promiſerunt, & eorum fideiuſſores dederunt ſecundum formam ſupraſcriptam, ut inferius continetur, videlicet

Die Iovis tertio exeunte menſe Aprilis.

„ Lapus Spadarius filius quondam Benvenuti po- „ puli Sancti Salvatoris, Ghibellinus, iuravit ad „ Sancta Dei Evangelia attendere & obſervare in

to-

„ totum omnia & ſingula que ſuperius in forma
„ iuramenti continentur. Et ita primum
„ Caro filio Angeli, & mihi Bonovardo Notario infraſcripto ſtipulantibus & accipientibus pro Domino Papa, & pro Romana Eccleſia, & pro Domino Rege, & eius Vicariis, & pro Communi Florentie, obſervare attendere & adimplere & contra non venire vel facere ad penam & bannum librarum mille florenorum parvorum, & plus & minus ad arbitrium Domini Pape & Domini Regis & eius Vicarii & Communis Florentie auferendum & auferendam & ſub obligatione & ypotheca omnium bonorum ſuorum renuntians omni iuri & exceptioni.

„ Naſus filius Bencini populi Sancte Mariae ſupra Arnum conſenſu dicti patris ſui

„ Falconerius frater dicti Lapi, & filius quondam dicti Benvenuti

„ pro predicto Lapo & eius fratribus & mandato ambo inſimul & uterque eorum in ſolidum exſtiterunt fideiuſſores & promiſerunt & convenerunt dicto Caro & mihi Notario infraſcripto ut dictum eſt ſtipulantibus & accipientibus ut ſupra continetur ſe facturos & curaturos ita quod predictus Lapus pro quo ſunt fideiuſſores obſervabit & & attendet in totum omnia & ſingula que ſuperius iuravit, & primum ut dictum eſt facere & curare promiſerunt dicti fideiuſſores ſub dicta pena & banno & obligatione & ypotheca bonorum ſuorum & renuutiaverunt omni iuri & exceptioni eis competentibus. Qui fideiuſſores fuerunt approbati per Ruggerium Fideiuſſorum approbatorem Communis, quod Lapo & fideiuſſoribus predictis volentibus & confitentibus ſe predicta omnia & ſingula promiſiſſe &

„ at-

„ attendere & obſervare debere, precipi ego No-
„ tarius iufraſcriptus nomine Sacramenti per Gua-
„ rentiam ſecundum formam capituli lati Floren-
„ tie quatenus predicta omnia & ſingula prout
„ ſuperius ſcripta ſunt & iuraverunt & promiſe-
„ runt in totum obſervent & attendant; Actum
„ Florentie ad pedem Palatii Communis Florentie.

Ego Bonovardus quondam Ruggerini Notarius, & tunc pro Communi Florentie ad predictum officium & ad predictum ſeptennium Notarius exiſtens hec omnia me preſente Acta pro Communi Florentie publice ſcripſi.

NOTAE

Monumentum hoc mecum perhumaniter communicavit Vir doctiſſimus Antonius Maria Biscionivs, *Laurentiane Baſilicae Canonicus, eiuſdemque Imperialis Bibliothecae Praefectus. Eo illuſtrari poſſunt, quae narrantur a Ioanne Villanio Lib. VII. Cap. XXI. & ſequentibus. Memorat enim Carolum Regem a Clemente IV. Pont. Max. & pro eo, & pro Eccleſia Vicarium Generalem factum fuiſſe provinciae Etruriae, dum vaçaret Imperium, quem Kal. Aug. anni MCCLXVII. magno cum honore Florentini Vrbem ſuam ingreſſum exceperunt. In hoc vero Monumento in enunciato eodem anno mendum cubare ſubſpicor; vel potius in textu Villanii.*

Ghibellini de ſextu Porte Domus.

Quum heic Porta Domus nominetur, Porta del Duo-

Duomo, *perlubet addere epigraphen numquam antea editam, quae olim Florentiae exſtabat in Eccleſia S. Iacobi ſupra Arnum. Ea facile marmorea donarium aliquod ſuſtinebat, vel Sanctam Crucem, vel Sanctam Imaginem aliquam, quam Negotiantes ad eandem Portam Reginam olim nuncupatam poſuere.*

AD HONOREM DEI
HANC COLVMNAM
FECERVNT NEGOTIA
TORES ROTVNDAM
QVI RESIDENT IN
PORTA REGINE QVE
DICTA EST SANCTE
MARIE

Plura de his addere heic non eſt locus.

EPI-

EPIGRAMMATA
ANTIQVA
NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA

Quae collegit, manuque ſua exſcripſit, ac miſit

REVERENDISSIMVS P. ABBAS

D. PETRVS PAVLLVS GINANNIVS

PATRICIVS RAVENNAS

IN PATRIA VRBE MONACHORVM CASINENSIVM

Praeſul Vigilantiſſimus & Clariſſimus.

ANT. FRANCISCI GORII

AD LECTOREM PRAEFATIO

LEGI nuper docti Viri opus, qui tanti ſe facere aiebat vetuſta inſcripta Marmora, ut quoties in ea mentis oculos coniiceret, tanquam Codices omnium quotquot exſtant antiquiſſimos censeret, ac magnopere commendaret tanquam ab ipſa Vetuſtate nobis traditos, & expoſitos; adeoque omni diligentia ea ſervanda, atque in lucem ſedula cura mittenda eſſe conſtanter adfirmabat. In ea ſententia & ego ipſe pariter ſum, eruntque ii omnes, quibus ſacratiores Muſarum aditus, omniſque eruditionis fontes late patent, & has eruditas vetuſtorum ſaeculorum delicias colunt, diligunt atque percupiunt. Omni laude plane dignus cenſendus eſt Vir Doctiſſimus D. Abbas Petrus Paulus GINNANIVS, *qui dum Romae eſſet, antiqua haec* EPIGRAMMATA *conlegit, iiſdemque Muſeum perelegans in Monaſterio S. Pauli inſcripſit, & ornavit; eiuſdemque Baſilicae muſivum opus temporum labe corru-*

ptum inſtaurandum coeravit: & nunc quoque Ravennae, ſi quae priſca Marmora litteris conſignata in apricum profert aetas, omni cura ab oblivione & interitu vindicat, & eruditis patere, ac perpetuo ſervari ſatagit. Quanta ſint in hoc Clariſſimo Viro de ampliſſimo Caſinenſium Ordine, de patria urbe, de Eccleſiaſtiaca Hiſtoria, de Chartophylacio Ravennate merita, doctrina, integritas, probitas, prudentia, humanitas, & quanta in me etiam eius ſit benevolentia, non eſt huius loci pluribus de his agere. Ipſe propter incredibilem ardorem ſuum animumque ad iuvandas bonas litteras paratiſſimum, auſpice V. Clariſſimo P. Paullo Maria Paciaudio, Clerico Reg. Teatino, hoc ipſo anno, quo in Metropolitana Sancta Ravennate Eccleſia ſacri Ieiunii tempore Oratoris munere egregie functus eſt, ad me miſit hanc veterum Inſcriptionum Syllogen, ut hiſce priſci aevi reliquiis Symbolas meas ornarem, quas nunc primum in lucem publico bono lubentiſſime profero, adiectis nonnullis Adnotatiunculis meis, quas benevolo animo accipies, Lector humaniſſime.

RO-

ROMAE AD S. PAVLVM
exſtant Epigrammata quae ſequuntur.

(1)

D . M
TI. CLAVDIVS. DOCIMVS
FECIT. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
NEGOTIANS. SALSAMENTARIVS
ET. VINARIARIVS MAVRARIVS

(2)

HIC. LOCVS. EST. CONPARATVS
QVEM. SE. VIBO. COMPARABIT
PROMOTI D INPCNMRO
MANA. III. KALEN
. . . .

(3)

L. NAEVIVS. ELEVTHER
ET. NAEVIVS. NARCISSVS
ET. L. NAEVIVS. THESAEVS. H
L. NAEVIO. HELENO. PATRO
SVO. EX. TESTAMENTO EIVS
FECERVNT. SIBI. ET. SVIIS
ET. LIBERTIIS. LIBERTABVSQVAE. ET
POSTERISQVAE. EORVM. ERARI. VASCL
H. M. S. S. E. H. NOSTRVM. SEQVETVR

(4)

D . M

T . AEL . EVPORISTI . QVI . VIX . ANN . XIIII . M

DIEB . XXVIII . D . M . T . AEL . CALISTIANI . QVI

VIX . ANN III . M . V . DIEB . XVII . FILIS . DVLCISSI

MIS T . A.LIVS . EVPORVS . ET . AELIA

.... MA . PARENTES . INFELICISSIMI . P

(5)

SEX . NERIANVS

ROMVLVS

FECIT . SIBI . ET

CORDIAE . HELPIDI

CONIVGI . KARISSIMAE . ET

LIBERTIS . LIBERTABVSQVE

POSTERISQVE . EORVM . VTRIVSQVE . SEXVS

EX . ORIGINE . NOSTRA . SI QVIS

EVM . TITVL . ADVLTERAVRIT . ALIENIGENVM . CORP .

AVT . OSSA . AVT . CINERES

IN HOC . MONVM . INFERRE . VOLENS . AD . HVM . NON

HABERET . DARE . DEBEAT . A . P . R . HS . L . M . N

HVIC . MON . DOL . MAL . ABESTO

(6)

D . M

Q . APPAEDIO . FELICI

Q . APPAEDIO . TORQVATIANO

APPAEDIVS . TORQVATVS

PATER . FECIT

FILIS . DVLCISSIMIS . ET . SIBI

ET . SVIS

D . M

CLODIAE . VRSILLAE

P . CLODIVS . CHRYSEROS

CONIVGI . KARISSIMAE

SIBI . POSTERISQVE . SVIS

FECIT

(7)

D . M
PHILETENI . Q . ET
MAMMENI . CONIV
GI . INCOMPARABI
LI . KARISSIMAE
ET . HERMIONE . FIL
DVLCISSIMAE . Q . V
A . III . M . VI . FECIT
HERMES . ET
T . IVLIO . ACHILLEO . A
MICO

(9)

D . M
SERVILIAE
SVCCESSAE
F . LAECANIVS
HERMES
CONIVGI
B . M

(11)

D . M . S
CLAVDIAE . AVG . L
EVTYCHIAE
CONIVGI
BENE . MERITAE
FECIT
ABASCANTVS . CAESARIS
ET . SIBI
POSTERISQVE . SVIS

(8)

D . M
FELICLAE
BENE . ME
RENTI . VER
NAE . SVAE
M . SERVILIVS
ALEXANDER
ET . SI ✠

(10)

FAVSTINO
VERNAE . SVO
DVLCISSIMO
L . CALPVRNIVS
ANTIGONVS
FECIT
VIXIT . ANNIS . IIII
MENSIBVS . . . .

(12)

D . M
M . VL . EPACATHI
ONI . VNCTORI . M . VL
ERMES . SODALI . BE
NE . MERENTI . FE
CIT

(13)

T . AEL PARTHENIO
QVI . VIX . ANN . VI . D . XXX
T . AEL . ARTEMIDORVS
FILIO . DVLCISSIMO
FECIT

(14)

A. PLAVTIO
ADIVTORI

(16)

AELIAE. VRBICAE. FIL
AELIVS. PARILIS. ET. CA
STORIA. SABINA. PA
RENTES. F. VIXIT. ANNIS
II. DIEBVS. XXX

(17)

D. M
L. FAEN
CANDIB

(19)

Θ . k
Π. A. ΑΠΟΛΑΥCΤΟC
ΠΡΙΜΑΔΙ. ΘΡΕ
ΠΤΗ. ΙΔΙΑ. ΜΝΙ
AC. ΧΑΡΙΝ. ΕΠΟΙΗ
CA

(20)

D. M
FILIO. CAR. B. M
CLEMENTI. FECIT
PATER. ORPHEVS
V r AN r NOVEM

(22)

ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΟΥC. ΕΥΜΕΝΕΙΑΙ
ΚΟΙΟΓΕΙ. ΙΝ. ΠΑΚΕ

(15)

D. M
T. AVRELIO. SECVND
NAT. RAITO. V. AN. XXXIII
HEREDES. AMICO
OPTIMO. FA. CV
T. AVRELIVS. LVCIANVS
ET. T. AVRELIVS QVINTVS
DVPL

(18)

Θ . k
ΒΑCΙΛΙΟΥ
ΝΕΚΟΝ. ΧΑ
ΡΙΝ. ΕΠΥΗ
CΕΝ. Μ. ΑΥΡ
ΔΙΟΝΥCΙC
ΑΔΕΛΦΩ
IC ΞωΝΑ. ΒΕΝΕΤΙΑΝΟΥC. ΠΡΙΝ
ΚΙΠΙ

(21)

FLAVIAE
AMMIAE
SACERDOTI
CERERIS
OB. HONOREM
CAERIMONIORVM
HONESTISSIME
PRAEBITORVM
DECRETO. ORDINIS


(23)

VENVSTO. FE
CIT. PRIMILLA
CONIVGI. DVL
CISSIMO. QVI
VIXIT. ANNIS
XXVI. MESIBVS
II. DIEBVS. XV
B . M

(24)

DIS. MANIBVS
T. PATRVFIO
VITALI
CLAVDIA
AGATEMERI *ſic*
CONIVGI. CARISSIMO
FECIT

(25)



(26)

i NVICTISSIMO
et SVPER. OMN
eſ pr INCIPES. VIC
torioſis SIMO. IMP
d OMITIO. AVG
uſt O. PIO. FELICI
AVG. MVNICIPI
cape NATIVM. NV
NI. MIESTATIQ
EIVS

(27)

ΠΟΚΩΜΗϹΑΑΤ
ΟΡΩΝΑΠΑΜΕ
ΑϹΔΕΕΤΩΝ
ΠΑΥϹΕΤΟΜΗΝ
ϹΙΟΥΑΥΠΑΤΙΑ
ΑΝΤΙΟΧΟ

(28)

L. ANNAEV *ſic*
DECEMBER
VIX. AN. IIII. M. II.

(29)

P. VLVNIVS
P. F. NIGER
SAGVNTIN
VS

(30)

IVLIA. EVPHROSINE. FECIT
SIBI. ET. C IVLIO. HERMETI
CONIVGI. SVO. CARISSIMO. ET
L. FANNIO. FILETO. FILIO. PIENTISSIM
ET. C. IVLIVS. PARIS. PATRI. BENEMERENTI
SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM

(31)

BAΛENTINO BENNEME
RENTI IN PqCCdCCλλΛMA

RAVENNAE ad S. Vitalem.

(32)


D. . . .
PVBLICIO. VAL.....
VIX. A. XII. M VIIII. D. X
PVBLICIVS. BASILIDES
ET. ROMANIA. VALEN†NA
ALVMNO.

In labro Cinerarii e rubro Orientali marmore, in Italia rariſſimo.

(33)

L. RVMEIVS. CHRESIMVS
V. SIBI. ET F
BODIAE. ZEPHYRAE. CONIVGI. ET
RVMEIAE. L. F. SECVNDAE

In Cinerario fictili

(36) 

EPIGRAMMATA ANTIQVA

Apud Baias hoc ipſo anno CIↃ. IↃ. CC. IL.
Menſe Maio, & Iunio effoſſa.

(1)

D . M
C. AVFIDI
EVTYCHI
C. AVFIDIVS
AMPLIATVS
PATRONO r B r M

(2)

D . M
DECIMINE r ALVM
NE QVE VIXIT AN
NIS XVI DIE II ELIA
FELICITAS DVLCISSIME
B. M. F

(3)

D . M
AVRELIO. MARVLLO
NAVF. III. VICT. NAT
CILIX. VIX. ANN. XLV
M. VI. D. VII. MIL. ANN.
XXV. ANTONIA ELPIDIA.
CONIVX ET HERES.
MARITO BEN. MER.
FEC.

(4)

D . M
FLAVIAE CERIALIS
C. AVFIDIVS EVTYCHVS
CONIVGI B. M.

(5)

C. TROLIVS. PHILARGVRVS
TROLIA. C.Ↄ L. HEDONE

Mutinae in Cippo effoſſo initio Septembr. h. a.
MDCCIL. *Ill. Marchio Eſtenſis dedit V. C.*
Bar. L. Stoſch, ipſe mihi.

(6) T. VASSIDIO
Ↄ. L. CLARO. ET
MINIAE. ACRIDI
VASSIDIA. T. L
AVCTA. FECIT
ET
P. VSSIENO. DIOGE
NI . . . .

Lapides num. 1. & 3. adlati nunc exſtant
Florentiae in Muſeo Stoſchiano.

AD-

ADNOTATIONES

(1) Singularis eſt haec Inſcriptio, Romano in Agro hoc ipſo anno effoſſa. In editis ad hoc tempus ſaxis MAVRARIVS nunquam nominatur, qui nunc primum e latentibus eruditae Vetuſtatis fodinis in lucem prodit. Claudius Docimus non ſolum Negotians fuit *Salſamentarius*, & *Vinariarius*, de quibus plura Pitiſcus; verum etiam MAVRARIVS, qui ſcilicet MAVROS pueros emebat, & vendebat. Tabernam, ſive Cataſtam huiuſmodi Negotiantes, & Mangones, qui mancipia & ſervos vendebant, ad aedem Caſtoris habebant, uti docet Seneca de conſt. Scip. c. 13. quod notat Pitiſcus in voce MANCIPIVM; qui tamen de *Maurario* negotiatore nihil habet. Silet etiam, nec de eo mentionem facit Pignorius de Servis, ubi pag 24. & 25. de Mancipiariis, de Mangonibus, & Venaliciariis, qui in cataſtis pueros venales alebant, & ſervabant, non pauca adnotat; & pag. 144. Mauros pueros curſores fuiſſe ſubſpicatur. Sed his miſſis, ex Suetonio diſcimus pueros praeſertim Mauros & Syros valde Auguſto placuiſſe, hiſque mirifice, dum luderet, delectatum fuiſſe, quod facie, & garrulitates amabiles eſſent. Haec enim in eius vita c. 83. ſcribit: *Animi laxandi cauſſa, modo piſcabatur hamo, modo talis, aut ocellatis nucibus ludebat cum pueris minutis, quos facie, & garrulitate amabiles undique conquirebat, praecipue MAVROS & SYROS*. Quamvis haec aptari poſſint Negotianti MAVRARIO; tamen adhuc in-

inveſtigandum, & accuratius diſquirendum ſupereſt, num idem Claudius Docimus MAVRARIVS dicatur, quia vina ex Mauretania advecta, Romae vendebat; ideoque ET. VINARIARIVS MAVRARIVS dicitur. Plinius Hiſt. Nat. Lib. XIV. Cap. IX. ubi dulcium vinorum genera complura enumerat, laudat *Cilicium* & *Africum* vinum. *Paſſum a Cretico Cilicium probatur & Africum & in Italia, provinciiſque finitimis.* Haec Doctorum iudicio, & calculo, ac locupletiori explicationi ſubiecta ſunto: pauca haec, alias accuratius expendenda, nunc depromimus.

(2) Chriſtiana forſitan eſt haec Epigraphe, cuius tertia linea mendis corrupta eſt. PROMOTI. D IN P. NM: forte *Depoſiti in pace Nonis Maii.* Qui Chriſtianae Fidei nomen dabant, & ſacrae militiae, *promoti*, ni fallor, dicebantur, quod me aliquando legere memini. COMPARABIT pro COMPARAVIT. Sepulcrum & a Chriſtianis dictum LOCVS. Adſimiles vide in Boldettiano Opere Lib. I. Cap. XIV. pag. 53.

(3) THESAEVS, pro THESEVS. item PATRO, pro PATRONO. Quod alibi ad Columbarium Libertorum Liviae adnotavimus, duplex ıI pro I. heic ſcribitur. Haeret aqua in voce ERARI. VASCL. pro *Vaſculum*, vel potius *Vaſcellum*; & ita in alia Inſcriptione VASCELLVS pro *cinerum urna* ponitur, ut obſervat Fabrettus Inſcript. antiq. Cap. II. pag. 98. ſaepe etiam H omiſſa eſt.

(4) CALISTIANI. praetermiſſa L. legendum CALLISTIANI.

(5) DARE. DEBEAT. A. P. R. *Dare Debeat Aerario Populi Romani.*

(6) Ad-

(6) Adſimilis Inſcriptio habetur in Theſauro Muratoriano pag. MCXXXIII. 5.

(7) Muratorius dedit *pag.* MCCCLXXXVII. 5.

(12) VNCTORI. Ad balnea pertinet. De Vnctoribus nil Pitiſcus in ſuo Lexico. ERMES. praetermiſta H; ſed frequentius HERMES.

(18) Hoc eſt: *Dis Inferis Publius Aelius* (vel *Aurelius*) *Apolauſtus Primadi alumnae memoriae cauſa feci*.

(18) Hoc eſt: *Diis Inferis* (ſeu *Manibus*) *Baſilii* victoriarum *cauſa fecit Marcus Aurelius Dionyſius Frater perpetuum Venetianorum Principi*. Forſitan haec Inſcriptio pertinet ad aliquem, qui praeerat Factioni Venetae Circenſium; quod eſt accuratius expendendum.

(21) Edita iam apud Fabrettum mihi videtur haec Inſcriptio, quae luculento Commentariolo explicari poſſet, ni heic brevitati conſuleremus.

(22) Hoc eſt: *Fortunatus Eumene coniugi in pace*. Chriſtanus titulus. Heic diphthongus EI pro I. & AI pro AE Lat. Exſtat apud Boldettium pag. 400. & Muratorium pag. 1876. n. 4. ſed aliquantulum variat.

(25) Hoc eſt: *Marcus Sardeus* (ſive *Zardeus*, *Zabdeus*) *requieſcit in pace*, *Amen*. Nunc primum Chriſtiana Euchologica adclamatio *Amen* mihi in Chriſtianis Sepulcris occurrit.

(26) Claudius Domitius Domitianus in Aegypto Auguſtus adpellatus eſt imperante Aureliano, anno ab V. C. 1026. Chr. 273. cui Capenates (ni fallor) hoc monumentum ſuae devotionis publice dedicarunt, & exſtare voluerunt.

(27) Fragmentum hoc Chriſtiani marmoris ita ſuppleri poteſt, lucem ferente praeclaro Opere V. Praeſtantiſſimi *Eduardi Corſinii de Notis Graecorum* nuper edito: . . . .

. . . . αΠΟ ΚΩΜΗϹ ΛΑΤ
. . . . . . τον ΟΡΩΝ ΑΠΑΜΕ
ων τελευτεσΑϹ Δ Є Є Τ Ω Ν
. . . . . . ανεΠΑΥϹΕΤΟ ΜΗΝ
ος αρτεμιϹΙΩΥ Α ΥΠΑΤΑ
Βασσου. καὶ ΑΝΤΙΟΧΟυ

Deeſt nomen defuncti in principio, adeoque nos latet. Hoc eſt: . . . . *ex Vico Lat* . . . . ex *finibus Apameorum*, *defunctus X. annorum* . . . . . . *obiit menſis Artemiſii I. die Conſulatu Baſſi & Antiochi*. Hi Conſules fuere anno Chr. 431. Vide laudatum Corſinianum Opus. ΥΠΑΤΑ, pro ΥΠΑΤΕΙΑ, ſcriptum eſt. Vide etiam eiuſdem Faſtos Atticos, quibus quae heic reſtituuntur, firmari poſſunt, multaque luce conluſtrari; item Cl. March. Maffeium de Siglis pag. 82. & Muratorianum Theſaurum pag. CCCCXI. num. 1. ΕΠΑΥϹΕΤΟ pro ΕΠΑΥϹΑΤΟ, ſive ΑΝΕΠΑΥϹΑΤΟ, *obiit*, *requievit*. Apamaeni menſibus Syro-Macedonum utebantur; quare menſis . . . . ϹΙΟΥ declaratus, potius videtur *Atemiſius*, quam *Deſius*. Servatus eſt ordo in edendis hiſce antiquis Inſcriptionibus, quem offerebat autographum. Ceterum a reliquis ſecernendi erant Chriſtiani Tituli, quos editos heic habes num. 2. 22. 25. 27. & 31.

(33) V. F in utroque ſingularis Vrnae latere; nimirum *Vivens Fecit*

ADNOTATIONES

Ad Bianas Inſcriptiones antiquas.

